



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

446

H

50



DISPUTATIO  
JURIDICA INAUGURALIS,

DE *RW 445/150*

JURE NATURALI, GENTIUM,  
ET CIVILI.

*Königliche  
Bibliothek  
zu's Hage.*

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS WESSELI,

S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN ILLUST. ACAD. LUGD. BAT.  
PROFESSORIS ORDINARIII ET ECCLESIAE IBIDEM PASTORIS.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
& Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitime consequendis,


*Eruditorum Examine submittit*

ANTONIUS REPELAER, Dordraci Batavus.

*Ad diem 48. Martii 1728. hora locogus solitis.*



BATAVUS  
REGS VANDER



*AMPLISSIMIS AC SPECTATISSIMIS*

*VIRIS,*

**D. J A N O B O U T,**

J. U. D. LIBERO DOMINO DE LIESHOUT,  
SOCIETATIS INDICÆ OCCIDENTALIS  
MODERATORI, URBIS DORDRACENSIS  
QUADRAGINTA VIRO, FRATRI SUO  
CARISSIMO, PER AFFINITATEM CON-  
JUNCTO, TUTORI SUO PLURIMUM  
VENERANDO, PARENTIS LOCO AD  
CINERES USQUE COLENDO.

**D. BALTHAZARI REPELAER,**

J. U. D. CIVITATIS DORDRACENÆ SE-  
NATORI ET SCABINO, REGIONIS,  
QUÆ APPELLATUR HET PEELLAND,  
PRÆTORI, PATRUO SUO, OMNI  
HONORIS CULTU HONORANDO, TU-  
TORI SUO DILECTISSIMO, EXOP-  
TATISSIMO.

NEC NON

*NOBILISSIMIS AC GRAVISSIMIS*


*VIRIS,*

**D. ANTONIO REPELAER,**

CIVITATIS DORDRACENÆ SENATORI  
AC JUDICI.

**D. OCKERO REPELAER,**

SUPRÆMÆ CURIÆ AUSTRALIS HOL-  
LANDIÆ JUDICI DIGNISSIMO.





**D. DAMASCO VAN SLINGELAND,**

J. U. D. URBIS DORDRACENÆ SENATORI,  
CUM MAXIME IN COLLEGIUM  
HOLLANDIÆ RATIONUM DELEGATO  
(VULGO VAN DE CONVOYEN EN LI-  
CENTEN) QUI DORDRACI SUNT,  
QUÆSTORI.

**D. JOHANNI VAN DEN BRANDELER,**

J. U. D. CIVITATIS DORDRACENÆ  
VIRO CONSULARI, QUONDAM IN CON-  
SILIUM HOLLANDIÆ DELEGATORUM,  
NUPERRIME IN COLLEGIUM ARCHI-  
TALASSICUM (QUOD AD MOSAM EST)  
ADSCRIPTO.

**D. JOHANNI VAN HOOGEVEEN,**

J. U. D. CIVITATIS DORDRACENÆ SE-  
NATORI, OLIM AD CONSESSUM  
RERUM MARITIMARUM, QUI AD MO-  
SAM EST, HOC TEMPORE AD CONSES-  
SUM CONSILIARIORUM HOLLANDIÆ  
ET WESTERISLÆ ORDINUM DELE-  
GATO.

COGNATIS SUIS, DEBITA REVEREN-  
TIA ATQUE OBSEQUIO SEMPER PRO-  
SEQUENDIS AC SUSPICIENDIS.

*Hanc Disputationem juridicam  
Inauguralem, ut & semetipsum  
devoto pectore.*

D. D. C.

**ANTONIUS REPELAER.**



DISPUTATIO JURIDICA  
 INAUGURALIS.  
 DE  
 JURE NATURALI, GENTIUM  
 ET CIVILI.  
 CAP. I.

**J**uris vocabulum in se consideratum deducitur non, ut Ulpianus voluit a justitia, sed a jubendo, antiqui enim dixerunt *jusa*, non *jussa*, unde eventuum temporum pro *juris*, *jura* appellata fuerunt, ut pro *valeris*, *valerii*, & sic deinceps

Jus diversas habere significationes notum est, E. G. ponitur pro eo, quod legibus Civilibus cautum est, ut *in Tot. Tit. Cod. de Jur. & Fact. Ignor.* pro sententia etiam iniqua *l. pen. ff. de J. & J.* pro loco, in quo jus dicitur. *l. pen. ff. & Cod. de in jus vocando.* pro affinitate & necessitudine sive consanguinitate *D. l. pen. ff.* pro causa sive titulo acquirendi & possidendi domini *l. 10. ff. si serv. vind. pro*



facultate legibus permiffa habendi aliquid vel agendi, *pr. Inst. de usufr. & pr. de Act* pro patria vel dominica potestate ut in *Tit. Inst. & ff. de his, qui st. sui vel ali. jur.* pro arte boni & æqui sive Juris prudentia *l. 10. pr. ff. de J. & J.* pro more etiam iniquo & Injusto, quo sensu accipienda est *l. 5. ff. de leg. Pomp. de Parricid.* quando autem Jus significat illud, quod semper bonum & æquum est, tunc est Jus Naturale, aliquando etiam vocatur Lex Naturæ *l. 24. de statu hom.* Cum vero notat istud Jus, quod omnibus aut plerisque in unaquaque Civitate utile est, tunc vocatur Jus Civile ut in *l. pen. ff. de Just. & Jure.*

Definitur ergo Jus Naturale, quod natura omnia animalia docuit, sive quod homines cum brutis commune habent, quatenus illi hoc faciunt ex Jure & ratione. hæc ex instinctu Naturali. In Definitione hac subintelligendum mihi videtur genus nempe Jus, non enim etiam omnia, quæ in animalibus videmus, propria cum hominibus sunt qualitatium Juris Naturalis, quemadmodum edere, bibere, dormire, quia illa facti sunt non Juris.

Per naturam hic intelligo naturalem rationem, quæ est mortalibus communis.

Exempla autem eorum, quæ ex hoc Jure descendunt, hæc sunt, maris & foeminae conjunctio, quæ apud nos matrimonium vocatur, procreatio, & educatio liberorum, propulsatio injuriæ. Videmus enim cetera quoque animalia istius Juris peritia censer.

Dixi: *Maris & foeminae conjunctio*, in qua Sermonis communicatio reperitur, & in qua homines rationis judicium adhibent, quia semper non solum, quid liceat, considerant, verum etiam quid honestati atque æquitati conveniens sit *l. 197. de R. J. Lactantius lib. 6 cap. 23.* inquit, *quando enim Deus excogitasset duorum sexuum rationem, attribuit ipsis, ut se invicem appeterent, conjunctione gauderent, atque eadem ratione propagari & multiplicari genera possent.* Bruta enim animalia suo motu ac impetu, quibus a Deo omnium rerum Creatore, condita sunt, sine certa ratione, sed tantum naturali

turali instinctu promiscue junguntur, quia non percipiunt, quid deceat, atque agant.

*Quæ apud nos matrimonium vocatur*; matrimonium nunquam tribui potest conjunctioni brutorum, sed naturali hominum conjunctioni, nam matrimonium, per quod hic intelligitur ipsum vinculum. quod est inter conjuges, quodque homines inter se contrahunt, respectu naturalis conjunctionis proficitur a Jure Naturali. Cætera vero ad justum matrimonii causam pertinentia non sunt Juris illius Naturalis primævi, ut animorum consensus & contrahendi forma; quo ad formam enim, quia quarundam personarum conjunctio est interdicta, est Juris Civilis. *l. 30. ff. de R. I.* mutuus vero animorum consensus est Juris Gentium *l. 6. de sponsal.* sicuti & reliqui contractus, qui consensu perficiuntur *l. 5. ff. de J. & J.* Notandum tamen hic matrimonialem conjunctionem non esse conjunctionem corporum sed animorum, quia nuptias non concubitus sed consensus facit *l. 30. ff. de R. J.* Corporum enim conjunctio tanquam consequens sequitur, præterea subintelligitur *legitima conjunctio*, ut excludatur concubitus, qui est non legitima viri ac mulieris conjunctio, quam aliquis habet uxoris loco sine Justis nuptiis.

*Viri & mulieris*; Imperator noster Justinianus non sine ratione adhibuit numerum singularem, ut scilicet Polygamia simultanea excluderetur, jus enim vetat maritum uno eodemque tempore plures habere uxores quam unam, & uxorem plures maritos quam unum, quod Jure Civili non licitum est *l. 2. C. de incest. Nupt.* neque etiam jure Divino, quamvis patrum exempla in veteri testamento obstant, non enim exemplis verum legibus judicandum est, nec respiciendum est, quid fiat, sed quid fieri debeat, dicit JCrus. in *l. 12. ff. de offic. Præs.* Sacra Scriptura ipsa indicat, quod unus non potest dominis simul inservire duobus, quin unum dilexerit, alterum odio habuerit. Polygamia successiva igitur est, quando aliquis plures habuit uxores diversis temporibus, quæ nullo jure prohibita est, unde singularis est *Tit. in Cod. de secund. Nupt.* Apost. Paul. ipse confirmat in *Epist. ad Rom. Cap. 7. Com. 2. & 3.* Pro-

*Procreatio & educatio liberorum*, hoc est, naturalis illa propensio, quam parentes liberis debent, nam Justinianus ait in *l. 1. Cod. de Rei uxor. At.* naturalem stimulum adhortari eos ad liberos educandos, hinc Senatus Consultum compositum est de agnoscendis Liberis contra illos, qui prorsus *ἀσέγγυοι*, id est, charitatis expertes atque brutis ipsis infirmiores, contemnebant omnem naturalem educandi animam, quod explicatur in *l. ult. Cod. de Alend. lib.* etiam contra naturam est, quando illustres feminae, quae proprios habere liberos possunt, sibi ignominiae hoc versurum arbitrantur, & aliis interim illos educandos a teneris tradunt. Liberorum autem educatio est Juris Naturalis Primævi, quo ad naturalem stimulum, voti enim paterni est liberis parare & eos locupletare. *l. 50. ff. de bon. libert.* quo ad instinctum igitur naturalem est Juris naturalis; respectu autem necessitatis est Juris Civilis. Pater enim de Jure Civili Judicis officio ad alendos liberos pro modo facultatum cogi potest *l. Fin. Cod. de Alend. liber. ac Parent.* non solum in patria potestate existentes, & ex jure matrimonio natos, verum etiam emancipatos, & naturales tantum *l. 3. junct. Auth. licet. Cod. de Natural. lib. incestuosos & ex damnato coitu natos secundum Jus Civile pater alere non tenetur. Auth. ex Complexu. Cod. de incest. Nupt.* quia pater incertus est, & ille semper habetur pro patre, quem justae nuptiae demonstrant. Mater tamen liberos, quando filius est egenus, & non habet unde vivat, alere cogitur, quia mater temper est certa, & liberos exheredare atque alimenta denegare nequit, quia matris præteritio testamentum facit inofficiosum: per alimenta hic intelligo omnia illa, quae ad vivendum necessaria sunt, quemadmodum cibus, potus, vestis, habitatio, & lectus, quia sine his corpus ali non potest *l. 42. ff. de V. S. etiam Sumptus in studia, si pupilli facultates id modo ferant l. 6. §. 5. ff. de Carb. Edic.*

*Propulsio injuriæ*, Jure hoc accidit, ut quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, Jure fecisse existimetur, inquit Cetus *l. 3. ff. de Just. & Jur.* Nullius enim rei studium alius

tius a natura omnibus animalibus insitum est, quam tuendi sui adversus vim illatam. Sic omni generi animantium a natura ante omnia tributum esse scribit Cicero l. 1. de Offic. ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videntur: Si modo id fiat cum moderamine inculpatae tutelæ l. 45. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. quod in qualibet vi atque injuriæ, vitæ vel pudicitia sibi illatæ propulsatione consistit, Naturali Juri ac Legibus conveniente l. 1. Cod. Unde vi. Si vero furem nocturnum vel quemcunque alium aggressorem, qui tibi vitæ periculum minatur, quod si nisi occidendo eum effugere non posses, impune occidere tibi liceat. Quia vim vi repellere omnes leges, omniaque Jura permittunt. Unde Ovid. l. 3. de Arte Amandi. Vers. 291. non in-eleganter cecinit.

*Armaque in armatos sumere Jura sinunt.*

Cetera animalia istius Juris peritia censei, quia non ulterius progrediuntur, ut homines, qui etiam Juris a ratione manantis capaces sunt. ideoque pluris æstimantur. Nam censendi vox per translationem accipienda hic est: quia, sicuti Romanorum tempore varii erant civium census pro patrimoniorum discrimine, ita etiam diversi sunt gradus pro Jurium diversitate, quorum cognitione prædita sunt. Elegantissima est locutio a multis unitata auctoribus, quorum pauca proferam. Papinianus ait in l. ult. ff. de suis & legit. Hered. privatorum cautionem legum auctoritate non censei. Tacitus in vita Agric. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, Auctor dialogi de Oratoribus, ejusmodi libri exstant, ut ipsis quoque qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur. Val. Max. Lib. 6. Cap. 1. in princ. Te custode matronalis stola censeatur.

B

CA.

## CAPUT. II.

**J**us Gentium in genere definiri potest, quod sit illud Jus, quo gentes humanæ utuntur.

*Jus Gentium*; non omnes hic intelligo gentes, sed eas solas quæ recta ratione ducuntur.

Dividitur autem in primævum & secundarium; quamvis divisio hæc quidem his ipsis terminis in Jure non existet, tamen satis ex §. 1. & 2. *Inst. de Rer. Div.* colligi potest.

Primævum igitur est, quod ratio naturalis immediate inter omnes constituit homines, & apud omnes peræque observatur.

*Ratio naturalis*; per rationem naturalem hic significantur notitiæ mentibus hominum in creatione insitæ; quibus Jus sum ab injusto, æquum ab iniquo, licitum ab illicito scernitur.

*Apud omnes*; id est saltem apud plerasque moratiores gentes.

Huc pertinet religio erga Deum, amor in Patriam, & parentes.

*Religio erga Deum*, quæ est reverentia quædam erga Deum, quæ mens humana statuit esse Deum potentem, omnium rerum creatorem atque conservatorem, quem timere, colere, & invocare debemus.

*Nam* (ut ait Cic. *l. 1. Tuscul. Quest.*) *nulla gens tam barbara, nemo omnium tam inhumanis est, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio.*

*Amor in Patriam*, hoc est ut sit cordi Patriæ salus, quæ Patriæ patribus maximopere ante omnia curæ ac suprema fere lex esse debet, ne detrimenti quid res publica capiat; unde & Patriæ oppugnatores & proditores incidunt in crimen læsæ majestatis. *l. Pen. ff. ad l. Jul. Majest.* & reorum pæna majestatis est, ut gladio plectantur, & omnia eorum bona con-

confiscentur. *l. 5. in princ. Cod. ad l. Jul. Majest.*

*Amor in Parentes*, hinc Ulpianus in *l. 1. ff. de Obseq. Parent. & Patron. Praest.* dicit, filium, qui patrem & matrem, quos honorare oportet, contumelia affecerit, graviter esse puniendum: semper enim persona Sancta honestaque videri debet. *l. 9. ff. Eod. Tit.* Summus Legislator in quinto Decalogi præcepto etiam commendat parentes esse venerandos, in quo dicit, honora patrem tuum & matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi.

*Secundarium* est, quod gentes usu & humanis necessitatibus exigentibus sibi constituerunt, quod a naturali Jure distinguitur, quod etiam jus Gentium dici solet: errant ergo, qui statuunt, Jus Naturale separari specie, quia, quamvis in producendi modo varient, substantia tamen & origine sunt unum, & quia quicquid est Juris Naturalis, est etiam Juris Gentium, nempe Primævi.

*Usu*, hoc est ad communem vitæ usum, retinendamque gentium inter se societatem.

Ex hoc Jure Gentium originem habent bella, ex quibus captivitates & servitutes secutæ sunt, quæ Juri Naturali ac primæ rationi contraria sunt, secundum quam omnes homines æquales atque liberi nascebantur. *l. 32. ff. de R. I.* Cæterum ex secundaria ratione etiam servitutes introductæ sunt, cum enim bella essent orta, humanius visum fuit in bello captivos servare quam occidere. Etiam ex hoc Jure omnes pæne contractus introducti sunt nempe necessitate, qua unus homo re alterius indigebat. 1. permutationem. 2. Ad commodiorem usum emptionem & venditionem. 3. locationem & conductionem, & sic porro. Vide *l. 1. ff. de Contrah. Emt.* & alii innumerabiles, id est multi, qualis formula sæpius in libris nostris occurrit, ut in Proëm. *Inst. §. 1.* innumeræ provinciæ. Additur in textu *rd pene*, quia quidam contractus sunt, qui quo ad certum modum & formam ex Jure Civili descendunt. *l. 7. ff. de Just. & Jur.* quales sunt verborum obligatio, seu stipulatio, item literarum obligatio, donatio propter nuptias, dos & emphyteusis.

Jus Civile est, quod quisque populus liber sibi ipse constituit.

*Populus liber*, nempe qui alieno Imperio subjectus non est. *l. ult. Cod. de Legib.* alii autem populi Jura aut statuta concedere nequeunt, nisi permissu ejus, cujus Juri subjecti sunt, quia soli illi, penes quem est summa majestas, Juris condendi potestas competit.

Per excellentiam sumitur pro Jure Romano.

*Jure Romano*, Jus autem, quo Romanus populus utitur, Jus Civile Romanorum vocatur, quemadmodum etiam Jus Quiritum dicitur, quia Romulus dictus fuit Quirinus, cujus rationem elegantissime hisce expressit verbis Ovidius *Lib. 2. Fast.*

*Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino,*

*Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit:*

*Sive quod hasta Quiris pristis est dicta sabinis.*

*Bellicus a tela venit in astra Deus:*

*Sive suo Regi nomen posuere Quirites:*

*Seu quia Romanis junxerat ille cures.*

Jus Civile aliquando strictissime sumitur per oppositionem Juris Prætorii. ut *l. 7. ff. de just. & jur.*

Satis autem apparet, Jus Civile ex accidenti dividi in scriptum & non scriptum, scriptura enim non constituit jus, aut facit ad ejus essentiam, sed sola legislatoris voluntas atque expressa sanctio ejus, penes quem est summa potestas.

Luce meridiana clarius est, jus scriptum hic appellari, non quodcumque literis mandatum est, sed quod publica auctoritate, puta Jussu principis, literarum monumentis consignatum, & promulgatum est, ut pro jure ac lege observetur.

Enumerantur hic autem sex Juris scripti species, Lex, Plebiscitum, senatus consultum, principum Placita seu Constitutiones, Magistratum Edicta seu Jus Honorarium, & Responsa prudentum. Sed hic quæstio parvi momenti oriri videtur, an sufficiens partium enumeratio facta sit, cum Leges Duodecim Tabularum videantur omisæ, de quibus agitur

in



in l. 2. §. 4. de Orig. Jur. item legis actiones. D. l. 2. §. 6. item auctoritas rerum Judicatarum, Sed ita deciditur, quod illa referuntur ad legem.

## CAPUT III.

**L**ex, quæ a delectu nomen accepit, tripliciter sumitur. 1<sup>o</sup>. latissima significatione, ut etiam jus non scriptum comprehendat. L. 33. ff. de Legib. 2<sup>o</sup>. in media significatione, quo pertinet legis definitio in L. 1. ff. de Legib. Lex est commune præceptum, virorum prudentum consultum: delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis reipublicæ sponsio. Prolixius adhuc describitur in l. 2. ff. eod. Tit. Brevius ita definiri potest. Lex est sanctio, quæ ad communem reipublicæ utilitatem lata est, omnes cives obligans. 3<sup>o</sup>. in strictiore significatione, quæ hæc est. Lex est quam Populus Romanus, Senatorio Magistratu interrogante veluti Consule constituebat.

*Populus Romanus*, per Populum Romanum intelligo tres illos ordines nempe Equitum, Senatorum, & Plebis, unde Ovid.

*Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.*

*Interrogante*, Magistratus, qui leges ferebat, & populum rogabat, nominabatur legislator. quamvis & legislator dicatur qui ex potestatis plenitudine suo legem condit arbitrio; hi non legum latores, sed conditores vocandi sunt: qualis summis solis Imperatoribus concessa est potestas. l. ult. Cod. de Legib. Formula rogandi populum occurrit apud Liv. Lib. 22. Cap. 10. Rogatus in hæc verba populus est, *velitis, Jubeatis, Quirites*, hoc sic fieri, si resp. Pop. Rom. Quiritium quinquennium proximum, sicut velim eam, salva servata erit hisce duellis, datum donum duit Populus Romanus Quiritium. si populus intellexisset Rogationem, vel eam approbat, vel rejiciebat suffragiis suis. Tria autem suffragiorum

genera apud Romanos fuisse nullam est dubium, scilicet vocem manus, pedes & tabellas. Senatus voce & pedibus utebatur unde Pedaria sententia dicebatur: etiam populus in comitiis voce utebatur. Si lex populo placeret, respondebat per tabellam, in qua scriptæ erant literæ U. R. i. e. Uti Rogas, vel cum ei displiceret, tunc respondebat per aliam, in qua scripta erat litera A. h. e. Antiquo, i. e. Abrogo. Similis locus est apud *Liv. Lib. 8. Cap. 37.* Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem, i. e., abrogarunt, vetuerunt, ne quid crudelius in eos consuleretur.

Plebiscitum est quod plebs, plebejo Magistratu interrogante, veluti Tribuno constituebat.

*Plebiscitum*, i. e. quasi plebis statutum, quod non patricios, h. e. qui ex ordine Senatorio erant, nec nobiles Romanos, sed plebem tantum obligabat.

*Plebs*, in eo differt a populo, quo genus a specie: non quod populus sit genus *plebis*, sed quia sicut genus plura in se complectitur, quam species, ita populus plures in se complectitur cives, quam *plebs*, nam populi appellatione non solum plebeji continentur, verum etiam patricii & senatores, qui a plebejis separantur & excipiuntur. Cæterum populus ad plebem eandem habet rationem, quam totum ad partem. Quamvis hæc ita sint, plebs tamen erat vilior populi pars. unde *Cic. pro Mil.* plebs & infima multitudo.

*Veluti*, hæc particula aliter accipitur in hac, quam in superiori definitione, quoniam exempli nota ibi erat: hic autem accipitur pro *quemadmodum*, e contrario *veluti* accipitur pro *veluti*. ut in *l. 7. ff. de Pact.* quia solus Tribunus plebis rogabat plebem:

*Tribuno*, qui ex eo dicitur, quod ex tribus partibus, in quas populus Romanus divisus erat, creatur.

*Constituebat*, hic notandum, Imperatorem in hac definitione usurpare verbum *constituebat*, quod est præteriti temporis, ob eandem rationem, ob quam eodem usus est in superiori definitione, videlicet quia plebs hodie Juris constituendi potestatem non habet.

Au-

Auctoritatem acceperunt plebiscita per legem Horatiam, quæ postea per legem Hortensiam est confirmata, *Auctoritatem*, scilicet: talem, quæ erat in Senatu, sicuti penes populum potestas & majestas: propterea populus & plebs sciscere & jubere dicitur, quod est suffragio probare aut improbare; senatus vero censere & auctor esse.

*Per legem Horatiam*, hæc lex lucem autem aspexit Anno U. C. 306, cum primum tandem ad tollendas discordias inter patres & plebem L. Valerio & M. Horatio Coss., secessione in montem Aventinum facta, lex centuriatis comitiis fuerit lata, qua sanciebatur: ut, quod tributim plebs Jussisset, populum teneret: qua lege Tribunitiis rogationibus acerrimum telum datum est. *Liv. Lib. 3. Cap. 55.*

*Per legem Hortensiam*, quæ deinde post aliam secessionem in Janiculum montem a Q. Hortensio Dictatore anno U. C. 466. lata est, in se complectens; ut jure, quod plebs decrevisset, omnes Quirites tenerentur. *Gell. Lib. 15. Cap. 27.* Ex hoc itaque patet, unde plebiscita deinde leges appellata fuerint, & universum populum tenuerint, quia Q. Hortensius hanc in usum revocavit legem, indeque perpetua plebisciti fuit auctoritas. *l. 2. §. 8. ff. de Orig. Jur.* hinc Jctus Pomponius, *in loc. hic all.* inquit, *Et ita factum est, ut inter plebiscita legemque constituendi species inter essent: potestas autem eadem esset.*

Senatus-Consultum est quod senatus jubet atque constituit.

*Senatus-Consultum*, Senatus-Consultorum autem plurima in Jctorum libris inveniuntur exempla, ut Senatus-Consultum Macedonianum, vellejanum, Tertullianum, Trebellianum, Turpilianum, Orphitiasum, Silanianum. Notandum tamen hic, nullum Senatus-Consultum potuisse fieri, nulla discessione facta, in omnibus autem discessio erat necessaria: sed alia fiebant per discessionem, nullis dictis, neque rogatis, vel exquisitis sententiis; alia exquisitis, vel auditis singulorum sententiis; ambo per discessionem fiebant, &

& hac ratione facile, qui volunt, Tuberone[m] cum Varrone conciliare possunt, quos a se invicem dissentire putat *Gell. Lib. 14. Cap. 17.* propterea fortasse, quod vel non intellexit, vel rejectit illam loquendi formulam ex Varrone relatam, quod scilicet Senatus-Consultum fit, vel per discessionem, si consentitur, aut si res esset dubia, per exquisitas singulorum sententias.

*Quod Senatus;* senatus hic est consilium e selectis viris constans, quo nulli plebejo aditus est.

*Quod Senatus Fubet;* si modo sub libera republica populi voluntas accederet, vel sub Imperatore principis auctoritas, cui alioquin soli legis condendæ potestas est reservata *l. 8. C. ult. Cod. de Legib.* cum leges ferre sit jus majestatis, inde principes sæpe orationes suas in senatu proponebant de iis rebus, de quibus Senatus-Consulta fieri solebant *L. 8. ff. de transact. & l. 9. ff. ad SCtum Tertull.*

*Atque constituit;* Maximo cum effectu, postquam populus lege Rogia omne Imperium suum ac potestatem in Principem transfulerat. & hic in Senatum comitia transfulerat.

## CAPUT IV.

**P**incipis placitum sive constitutio est Jus, quod Principi placet, ut legis habeat vigorem.

Principis placitum sive constitutio est Jus quod Principi placet, hoc est, quæ constitutio a Principis auctoritate & potestate profecta est, Principis placitum dicitur, quod Principem spectat, ut apud Suet. *in Calig. Cap. 39. modo penitentiam simulans, quod Principalium rerum,* (id est, ad Principem pertinentium) *privatis copiam faceret.* Plin. Paneg. 50. *Tanta benignitas Principis, tanta temporum securitas est, ut ille nos Principalibus rebus existimet dignos.* Unde in Jure nostro Principales constitutiones. *l. 33. ff. si Cert. Pet. Libri Principales l. unic. ff. de Offic. Quæst. & id. genus alia,*

Ue

*Ut legis habeat vigorem*, scilicet postquam Julius Cæsar, extincto Pompejo, solus regnare cæpit, neque ulla amplius esset libertatis spes: Populus Romanus jam servitutis Jugum ferre assuetus, lege Regia lata omnem in Principem transfudit potestatem, ut deinde res publica per unum gubernaretur, ac quicquid populus statuere & facere per se posset, idem posset & Princeps solus. *Vid. l. 2. ff. de Orig. Jur.* Sic ergo quod necesse erat pati, dissimulata Julii Cæsar's vi, legis Regiæ titulo contegere maluerunt. Hanc tamen legem plerique de Octavii Augusti Primi Principis acclamati Imperio: alii Vespasiani tempore latam esse volunt, atque ita in quibusdam monumentis Romæ haberi testatur Salomonius. *in l. 1. ff. de Const. Princ.* Lex autem Regia dicta non est ab auctore, sed a materia, quia in ea Regia potestas in Principem a populo translata est, ut pluribus id confirmat Clar. Hub. in suis Digress. *Cap. 10. 17. & sequent.* Ex his autem satis constat, quatuor fuisse leges Regias 1. Christi. *Vid. Job. 2. Vers. 8. 2.* Regiam Israëliticam. *Vid. 1 Sam. 8. 3.* Regiam Romanam, de qua hic. 4. Regiam hodiernarum rerum publicarum, sive leges fundamentales unius cujusque Imperii.

Principis vero placitum in tres dividitur species, nempe Rescriptum, Edictum, & Decretum, Belgice, *een Rescriptie, Edict, Placcaet.*

Rescriptum est epistola Principis, qua de Jure consulentibus respondet, quæ si respondeat Civitatibus, universitatibus, aliisque collegiis de Jure consulentibus, vocatur Pragmatica Sanctio. *l. ult. §. 1. Cod. de Div. rs. Rescript.*

Edictum est quod Princeps proprio motu ad subditorum utilitatem constituit, ut ab omnibus servetur. *l. 3. Cod. de Legib.*

Ejusmodi Justiniani Edicta sunt tredecim Juris Corpori post Novellas inserta.

Decretum est sententia Principis, quam inter partes litigantes causa cognita pronuntiat. *l. 1. §. 1. ff. de Const. Princ.* Elegantissimum est exemplum in *l. 3. ff. de His Quæ In Test. Delent.*

C

Con-

Constitutio Principis vel est generalis, quæ pertinet ad omnes, vel specialis, quæ aliter vocatur privilegium, quod est Jus singulare certæ personæ vel rei (plerumque ex singulari favore) constitutum. *l. 1. § 2. ff. de Constit. Princ. L. 16. ff. de Legib.* Næc obstare videtur. *l. 8. ff. de Legib. R.* nam quod ibi dicitur verum est, Nisi ex Justissima causa aliter placeat.

*Plerumque*, nam privilegium aliquando in malam sumi potest partem, ut patet ex §. 6. *J. b. t. Vid. Gell. lib. 10. cap. 20.*

Estque vel reale, quod transit ad heredes, vel personale, quod non egreditur personam, cui concessum est.

*Reale*; tale vocat Grotius privilegium funerarium, quod creditor, qui in funus credit, præfertur omnibus creditoribus. *l. Pen. Junct. l. 31. ff. de Rel. & Jumpt. Fun.* Item temporis induciæ, quæ condemnatis indulgentur *l. 28. ff. de Re Jud. l. Fin. §. Fin. Cod. de Usur. Rei Jud.*

*Personale*; huc pertinet privilegium competentia *l. 12. § 18. ff. solut. Matr. § 1. Unic. Cod. de Privil. Dot.* Item privilegia Doctorum & studioforum.

Magistratuum Edicta sunt Jura constituta a *Magistratibus*, uti Prætoribus & ædilibus. Hoc Jus aliter vocatur *Honorarium*.

*Magistratuum*, per Magistratus hic intelliguntur Prætores præcipue, ita dicti a præeundo quasi Prætores *Nov. 24. in Præfat. & generaliter omnes Magistratus significant. Nov. 25. in Præfat.* in specie autem Prætores & Magistratus dicuntur, qui in causis civilibus & privatis juris dicendi potestatem habent. *l. 11. ff. de Just. § Jur.* fueruntque duo olim præcipui, urbani, qui Jus dicebant inter cives tantum Romanos, & peregrini, *l. 2. §. 27. § 28. ff. de Orig. Jur.* qui inter peregrinos, vel & cives & peregrinos Jus dicebant. Cum autem Prætorum Imperium primum erat annuum, etiam eorum Edicta erant annua, quæ Edicta proponebant in albo seu Tabula dealbata, ut homines scirent, quid quisque Prætor Juberet. Salvius autem Julianus Jctus ex variis unum collegit Edictum, quod Edictum perpetuum nuncupatum est, ex quo omnes deinceps Prætores Jus dixerunt. *l. 2. §. 18. C. de*

*Vt.*

*Vet. Jur. Enuc.* Quod trihus fere solennibus verbis continetur, *do, dico, addico.* *Vid. Varr. de Ling. Lat. Lib. 5. Macrobr. Lib. 1. Sat. Cap. 16.* per quæ Fasti dies a Nefastis distingui solebant. *Ovid. Lib. 1. Fast. Vers. 45.*

*Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur*

*Fastus erit per quem lege licebit agi.*

*Ædilibus*; hic intelliguntur *Ædiles Curules*, qui *Edicta* proponebant circa emptiones, venditiones, item securitatem publicarum viarum *Tot. Tit. ff. de Ædil. Edict. §. 1. Inst. de Quadrup. Paup. §.* Notandum tamen, *Ædiles* dici ab *Ædibus*, quarum curam gerebant. *L. 2. ff. de Orig. Jur. Varr. de Ling. Lat. Lib. 4.* Dicti vero *curules*, unde etiam distinguebantur ab *Ædilibus* & *Ædiles* etiam *Proconsules* in provinciis *Edicta* proponebant. Fuerunt autem *Ædiles Curules* primum creati Anno 387. Et primi ex patribus hoc munere ornati sunt *Cn. Quinctius Capitolinus*, & *P. Cornelius Scipio*, uti tradit *Liv. Lib. 7. Princ. L. Sextio & L. Mamerio Coss.* Alii vero *Curules* a *Curia* deducunt, *Lips. de Magistr. Rom.* a *Curibus*, veteri *Sabinorum* oppido, dici putat. Alii a *Curru* scil. *Currules*, & abjecta secundum *Budæi* mentem altera litera *R. Curules*. Nam ut apud *Gell. Lib. 3. Cap. 18.* solebant *Senatores* in *Veterum Ætate*, qui *Curulem* gessissent *Magistratum*, *curru* honoris gratia in *curiam* vehi: in quo *curru* *sella* esset, supra quam considerent; quæcam ob causam *Curulis* appellaretur. & *Isid. Lib. 20. Cap. 11.* *Consules* & *Prætores* apud *veteres* propter itineris longinquitatem *curru* in *forum* provehebantur. *Sellæ* autem, quæ post eos vehebantur, quibus *sedentes* dicere *Jura* solebant, a *curru* *Curules* *sellæ* nominatæ sunt. Hinc apud *Suet. in Augusto Cap. 22.* Legimus *Augustum* bis *ovantem urbem* ingressum fuisse, atque *tres Curules triumphos* egisse. *Triumphus Curules* a *Suet.* vocantur ad differentiam ejus, quod *paulo* ante dixerat, bis *ovans* ingressus est; quippe *ovationes* *triumphi* erant *minores*, in hoc a *Curulibus*, i. e., *majoribus* *triumphis* præter cetera discrepantes, quod *ovantes equo*



insidentes, vel ut Sabin. Massur. apud Gell. *Lib. 5. Cap. 6.* dicit, pedibus, sequentibus eos non militibus sed universo senatu, urbem ingrederentur, triumphantes autem curru invehantur. Vid. Symmach. Epist. 21. 22. & Serv. *Ad. 11. Æneid.*

*Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.*

Hoc Jus aliter vocatur Honorarium, scil. ab iis, ut Justinianus ait, qui honores gerunt, h. e., magistratus, qui auctoritatem huic Juri dederunt.

Responsa prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de Jure respondere.

*Responsa prudentum*, nempe Jctorum, quos præclare definit Juvenal.

*Qui Juris nodos legumque Ænigmata solvunt.*

Verum huic §. obstat *L. 2. §. 5. de Orig. Jur.* ubi responsa prudentum referuntur ad jus non scriptum, & quamvis hæc ita se habeant, observandum equidem est, distinguenda hic esse tempora: ante Imperatorem Augustum responsa prudentum habuerunt vim Juris non scripti, quod tacito populi consensu consuetudineque introducta fuerunt. *diñ. L. 2. §. 5. & 12.* Primus Princeps Augustus, qui merito Patriæ Pater appellatus est, non singulis de jure respondere, ut ante fiebat, permisit, sed quibusdam tantum, & eorum responsa Juris vim obtinere voluit. *D. L. 2. §. 47.* Jctorum responsis causam dedit nimia brevitatis Legis 12 Tabularum. *diñ. L. 2. §. 5.* ex his responsis universæ fere Pandectæ sunt compositæ. Hæc autem Jctorum auctoritas sublata videtur per *L. ult. Cod. de Legib.* Quicquid sit, hodierni Jcti per se nullam in respondendo habent auctoritatem.

*Sententiæ*, sententia est de re certa & constante responsio, ut non licet heredem instituere in codicillis. olim autem sententia a populo recipiebatur, vel a Principe probabatur. hinc sæpe in Pandectis legitur, quæ sententia referri vel recipi potest, vel non recipi potest, ut & quod receptum est vel non receptum est. *L. 2. §. ult. de statulib. L. 1. §. 3. de Acquir. Poss. L. 1. in Fin. de Senat. L. 11. in Fin. de Tut.* Hinc libri Julii Pauli dicuntur re-

cc-

ceptarum sententiarum. Hæ autem sententiæ in disputationibus fori proponebantur, de quib. vid. Tit. *de Orig. Jur.* l. 2. §. 42.

*Opiniones*; est igitur opinio suspensa ac timida ac cum dubitatione elata responsio; ut *existimo hoc fieri licere, existimo hoc fieri non licere, puto mulierem dotem repetentem præferri anterioribus mariti creditoribus, etiam expressam hypothecam habentibus.*

## C A P U T V.

**J**us non scriptum est, tacito utentium consensu introducta Consuetudo. Consuetudo est Jus quod usus & diuturni mores consensu utentium approbarunt, Legis habens vigorem.

*Diuturni mores*, Consuetudo aliquando vocatur longa L. 32. ff. *de Leg.* & inveterata Ibid. Item diuturna. L. 33. ff. *Eod.* non quia aliqua consuetudo brevis est, sed quia longo usu introducitur.

*Consensu*; excluditur ergo error, ideoque consuetudo debet esse rationalis. Consuetudo enim errore introducta pro consuetudine habenda non est. l. 39. ff. *de Legib.* Consuetudinis autem requisita hæc sunt. 1<sup>o</sup> requiritur, ut superior non contradicat. *Arg.* l. 18. ff. *Mand.* 2<sup>o</sup> ut constet consensu tacito, si enim consensu expresso consuetudo statuatur, lex est. 3<sup>o</sup> requiritur continuata actuum frequentia. l. 1. *Cod. quæ sit longa consuet.* l. 34. §. 38. ff. *de Legib.* Hinc quæstio moveretur, quot actus ad introducendam requirantur consuetudinem. Duo autem non sufficiunt, nam quod bis modo actum est, id frequentia dici non potest. Nihil refert, an actus sint Judiciales, an extra Judiciales, licet per Judiciales consuetudo probari facilius possit, si contradicta aliquando Judicio firmata sit l. 34. *D. de legib.* ubi sic legendum est, non *contradictio*. nec enim contradicitur Judicio, sed consuetudini. Vid. *CL. Schultingium in enarrat. Pandect. add. t. no. 19.* & quod antea dixi, duos actus non sufficere, ei non obstat.

l. 12. ff. de Test. in qua dicitur plurale duorum numero esse contentum, quia frequens dicitur, quod sæpe repetitum, jam quod bis tantum fit, id semel repetitum est. Cæterum certus actuum numerus in jure non est definitus, adeoque hoc judicis arbitrio relinquendum. Arg. l. 1. ff. de Jur. delib. 4°. requiritur temporis diurnitas. l. 32. §. 1. & l. 35. ff. b. e. unde iterum disceptari solet, quantum temporis spatium requiratur. 5°. requiritur, ut ab illo probetur, qui eam allegat. l. 1. Cod. quæ sit Longa Consuet. l. 4. ff. de Custod. & Exhib. Reor. sunt tamen, qui decennium requirant, quod decennium vocatur longum tempus. Tot. Tit. Cod. quæ sit Longa Consuet. sed nulla consequentia est: nam & quinquennium dicitur longum tempus, imo & biennium. Itaque hoc judicis arbitrio relinquendum, cum non expresse legatur determinatum in jure.

*Mores utentium*, Moris vel usus vocabulum hominis factum notat, proque actu ipso ponitur, ex quo consuetudo est ipsum jus, quod per morem sive usum, i. e., per populi observationem inducitur. Confunditur tamen non raro in Legibus: nam & consuetudo quandoque factum nudum significat, & usus pro consuetudine accipitur.

*Legis habens vigorem*, scilicet non minorem in obligando, quam ipsa Lex. l. 32. & 33. ff. de Legib. hinc consuetudo quoque Legem dubiam interpretatur. l. 37. & seq. eod. Imo & legem abrogare potest. §. Pen. j. b. 1. item l. 32. in Fin. ff. eod. Opponitur igitur l. 2. Cod. quæ sit Longa Consuet. Quæ d. l. 2. 10. intelligi debet de consuetudine irrationabili. Nov. 138. 2°. D. l. 2. loquitur de consuetudine priori, quæ non habet tantam vim, ut legem postea latam tollere possit, unde tertia fuit responsio, nempe quod consuetudo non habeat majorem vim, quam lex, sed æque magnam, ut enim posterior lex tollit priorem, ita quoque consuetudo.

Proponitur hic alia Juris divisio, nempe quod jus dividitur in mutabile & Immutabile.

*Immutabile* est jus naturale & jus gentium primævum, mu-

mutabile est jus gentium secundarium & jus Civile.

*Jus Naturale*; Ipsum jus naturale in se est Immutabile, ratio est in Textu, hinc Justus inquit. in l. 8. ff. de R. J. jura sanguinis nullo jure Civili dirimi possunt. Oppositur huic l. 2. §. 2. Ad SCtum Tertull. ubi mater non amplius mater esse dicitur. Juris naturalis effectus impediri & mutari possunt, pro variatione circumstantiarum in d. l. 1. §. 2. ꝛ. Mater dicitur non amplius mater esse, quatenus matri hereditas auferri potest filii. Præterea distinguendum est inter jus naturale, quatenus aliquid positive præcipit, & quatenus simpliciter permittit religio in Deum, amor erga Patriam & Parentes, hoc jus nullo modo mutari possit, posterioris generis est libertas, quæ ex necessitate quibusdam postea adempta est, similiter natura omnibus hominibus jus in feras permittit, attamen propter publicam utilitatem Princeps venandi jus auferre potest. Præter divisiones hoc Titulo enumeratas, in strictum & æquum jus etiam dividitur. l. 8. Cod. de Jud.

*In Strictum*; quod nihil aliud hic est quam Juris vigor, si-ve dura Juris scripti interpretatio, illud aliter dicitur jus summum, durum, stricta ratio.

*Et æquum*; quod vel generaliter sumitur pro æquitate, quæ cum omni jure conjuncta est, & sic universis legibus omnibusque Juris Civilis partibus æquitas inesse creditur: specialiter sumitur pro eo, quod est a Jure Civili diversum, & sic jus æquum nihil aliud est, quam humanior & benignior legis interpretatio, sententiam ejus retinens. In omnibus autem æquitas stricto juri est præferenda d. l. 8. C. de Judic. præterea Judex in Judicando æquitatem stricto juri præponere debet. Quæritur autem hic, an per distinctionem hanc recte Leges pugnantes conciliari possint, si dicamus, hanc Legem loqui de stricto Jure, alteram de æquo & bono. mihi negari debere videtur, 1º cum Jus scriptum opponatur æquo & bono, manifeste relinquitur, non tolli pugnam, illa enim Lex, quæ loqui dicitur de stricto Jure, etiam asseritur esse injuria secundum Comicum: summum Jus sæpe summa est injuria.

## 24 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

2<sup>o</sup> Imperator omnes Leges suas fecit, & ejusdem effectus esse voluit. *l. 2. §. 10. Cod. de Jur. Veter. Enucl.*

Proponitur hic nunc ultima hujus Tituli & Juris divisio ab objectis desumpta, quæ tria sunt, Personæ, quibus Jus dicitur, Res, de quibus jus dicitur, & Actiones, per quas Jus dicitur, tanquam legitima media, verum huic §. opponi posset. *l. ult. ff. de legib. R.* Objecta Lex referri debet ad secundum objectum, nempe ad Rem. Jus autem rerum consistit in acquirendo, aut in conservando, aut aut in minuendo. Quod ad Actiones attinet, Actionum vox hic latissime sumitur, & complectitur præter actiones in rem & in personam, etiam accusationes.

Quoniam mihi, B. L., hanc tractare materiam, cum animum ad Disputationem componendam appulissim, animus fuit, tantum levi adumbravi penicillo, quia nimia longitudo fastidium parit, si igitur forte quid insit, quod non bene suo loco positum, aut non satis elaboratum sit, id mihi se condonaturum spero.

CO.

# COROLLARIA

I.

*Pater filio exheredato recte dat tutorem.*

II.

*Bona fidei possessor omnes fructus percipiendo facit suos, etiam naturales tantum.*

III.

*Fera in alieno solo capta fit capientis.*

IV.

*Vestimentorum est verus usus fructus.*

## FINIS

D

NOBILISSIMO, DOCTISSIMOQUE  
VIRO JUVENI  
ANTONIO REPELAER.

*Cum Juris utriusque Doctorum albo inscriberetur.*

Jam satis longe, tacitæ quieti,  
Musa, concessum; nova plectrâ fumas,  
Et canas laudes meritas amati  
Pallade casta.

O dies, nata auspiciis secundis!  
O dies, albo decoranda signo!  
Quâ tibi frontem Themis alma lauro  
Cingit, amice.

Certa tu præbes monimenta doctæ  
Indolis, certum specimen laboris  
Seduli pandunt calamo notata  
Scripta perito.

Jura, quæ Jura dedit benigna  
Gentibus, monstras, populisque quicquid  
Jure civili licitum, diserto  
Differis ore.

Præmium curæ vigilantis amplum  
Nunc capis, magno at meritum labore,  
Et tuos tortis hederis triumphos  
Ornat Apollo.

Passi-



**Paffibus claris Proavum repente  
Sic gradu gnavo generofus inflas,  
Æmulus famæ, decorifque summi  
Ardua tentas.**

**Sic tuum tandem video perenne  
Nomen evectum nitidas per auras,  
Et polo fulgens, velut inter ignes  
Luna minores.**

**J. W. v. STEENBERGEN.  
Med. Stud.**





